

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dissertatio Medica Sistens Naevorvm Origines


Gruner, Christian Gottfried Gruner, Christian Gottfried

Ienae, 1778

VD18 13134485

Mvllero Svo s. Praeses.

urn:nbn:de:gbv:45:1-15050


M V L L E R O S V O

s.

P R A E S E S

Ex quo hac in academia commoratus es litterarum bonarum et medicinae gratia, totum TE meae disciplinae tradidisti, eamque ostendisti morum modestiam, ingenii indolem, assiduitatem, diligentiam discendique ardorem, vt spem certissimam faceres, TE fore aliquando doctrinae scientiaeque praestantia carissimo cuique commilitoni parem, inferiorem nemini. Nec spes fefellit. Nuper enim me nec tale quid opinantem conuenisti rogaturus materiam quandam medicam, in qua vires ingenii experiri liceret, atque tandem eam, quae in naeuis versatur, potissimum eligendam putasti, partim quia haec viribus TVIS conuenientissima esse videbatur, partim quia hic locus erat, vltius exspatiandi et in vtramque partem disceptandi. Suasu ergo et hortatu meo rem TVAM sic peregisti, vt pauca haberem, quae hinc inde allinerem, et magis in voculis singulis, quam rebus me continerem. Vellem tamen pepercisses Cl. TODIO. Vereor enim, ne, dum patronum causae meae agere videris, ipse in ius voceris, et omni conuiciorum genere, vt illius mos est, afficiaris. Ego vero, qui cl. viri malum os, dicacitatem et mordacem linguam iure, nescio, quo, quauis data vel arrepta occasione, centies sensi, dudum didici spernere tales



tales iniurias, risus impudicos, iocos pueriles, nec professore dignas, famae mendacia et conuicia crebra, meo me metiri modulo, et, qua via coeperam, strenue pergere, non curare iudicia viri, de rebus sibi incognitis vel non satis perspectis audacter iëtericorum more decernentis, prodesse commilitonibus et ciuibus, scribere, de quo visum fuerit argumento, et relinquere illi gonorrhoeae deliria obscenitatumque praeconia. Quare, MVLLERE OPTIME, cum in domesticis exercitationibus disputatoriis TE strenuum veritatis vindicem identidem demonstraſti, neque iam deeris (spero) et meae, et fautorum TVORVM exspectationi, et continuae diligentiae tandem assequeris promerita praemia. De reliquo ne in posterum me TVI amantissimum redamare desine.

Scripsi e museo a. d. III. Iulii

CIO IO CCLXXVIII.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
A V C T O R I

S. P. D.

IO. PHIL. GABLER.

S. L. C.

Ex quo nostram musarum sedem adiisti, cum insignem TVAM, qua perdiscendis optimis artibus atque scientiis TE dedisti, diligentiam, tum rectam mentis indolem morumque probitatem non potui non demirari. Collectis iam vberimis industriae fructibus in scenam prodis, remque adgrederis TE TVISQVE viribus dignissimam. Rectae rationis causam agis: superstitionem autem et ani-

M

les

A

2

S



— — — — —

les fabulas fortiter debellas. Quod egregium *TVVM* veritatem fir-
mandi, praeiudicatas contra opiniones longius propellendi studium
omnium bonorum laudem nostra praesertim aetate meretur am-
plissimam. Quidni ego hisce conatibus, quibus adhuc plures ve-
lim accensos, oblecter? Eo maiori potius voluptate perfundor,
quod primus popularium meorum, quibuscum doctrinarum stu-
dia in hac liberali scientiarum officina coniungere datum fuit, ca-
thedram conscendas, eamque ornes litteris haud leuiter tinctus.
Gratulor igitur patriae rei publicae maxima emolumenta ex ampla
*TV*A scientia assiduaque industria olim percipienda: gratulor acade-
miae nostrae ciuem bene doctum aequae ac bene moratum; gratu-
lor *ILLVSTRI PRAESIDI TVO*, fautori meo deuenerando, auditorem
dignissimum; gratulor denique mihi amicum, cuius et doctrina,
et animi integritate non parum teneor. Perge iam eo, quo cum
laude hucusque incessisti, tramite! Sit *TIBI πραξις* adeo aurea,
vt, comparatis ex arte medica fortissimis agris praediisque am-
plissimis, si quando experimenta ab Perill. Michaelis ad examinan-
dam vim imaginationis in fetum propositae instituere lubuerit, pau-
cis cuniculis centum pluresue oves bene pastas largissime substi-
tuere valeas! — Vale, mi *MVLLERE!* mihi que faue, resque *TVAS*
age feliciter! Dabam Ienae a. d. *III. m. Iul. A. R. S.*

c1o Io cc LXXVIII.

